DE SCIENTIARVM

ARTIVMQVE INTER SESE NEXV
MVTVISQVE OFFICIIS

POEMATIVM

RAYMVNDI GVARINII.

Nec tua laudabis studia, aut aliena reprendes.

Horat. Ep. Lib. 1.

MONITVM

De scientiarum inter se, artiumque nexu, mutuisque officiis, Poematium qualecunque deproperaturo, praefandi occasionem, praeter consilium, praebuit Antonii Nanvlae, V. C. *Theatrum Anatomicum ornatissimum, planeque singulare, ad quod invisendum, contemplandumque humaniter ille, amiceque pellexerat. Poematio deinde palam recitato apud Collegas Pontanianos, sollemni, ut mos est, indicta die, ad VII. Kal. Sextiles; Viri mox laudati Alumnos nonnullos cupido incessit, ut illud a me impetrarent typis committendum in Praeceptoris sui obsequium. Quorum voluntati, accensissimoque in tantum Praeceptorem studio haud aequum visum est repugnare. Haec te volebam, ut ne ignorares. Vale.*



AD ANTONIVM NANVLAM V. C.

ANATOMES PROFESSOREM

RAYMVNDVS GVARINIVS.

Te duce, te socio, dispexi, NANVLA, nuper,
Dispexi et fluxae vitaï stamina prima,
De tenui leviter vix dependentia nexu,
Stamina et interitus tacitas properantia in horas.
Obstupui, steteruntque comae. Subit ira deinde,
Qui neget esse Deum, potuisse hunc luminis auras
Flatibus infecisse suis! nihilo propiorem
Me sensique statim. Tum pallens auribus ista:
Dic sodes, quota in his tua, vel quae, NANVLA amice,
Pars fuit? Illorum anne opifex, aut arbiter ipse?
Per longas curas, insanos atque labores,
Quam modicum perscrutanti vidisse tributum est!
In quantis una mecum cunctaberis anceps,
Si fortasse aliquis paullo imprudentius instet?
Quem nunc dicemus, qui talia, tantaque fingit,
Perque vices delet, reficit, simul alter et idem,
Artificem referens, quem operis modo poenitet; at nunc
Ecce retentat opus, quod fastidiverat ante?
Te non plus ergo mirer, qui talia curas,

Quam qui spectantem miratur divitis aulam ,
Immemor artificis, quem praesensisse decebat :
Demirorque magis, qui vestris artibus ultra
Esse Deum , stulti detrectant , quique fatentur ,
Hos salsi rident . Aras , invicte , tuere ,
Nam potes , arte tua ; me quando meta laboris
Nunc alio revocat , tamen ut non prorsus agellum
Deseruisse tuum videar. Seges inde petenda ,
Et satis ampla mihi , etsi non pro munere vires .
Pars homini duplex : caelo quae proxima , prima
Cura mihi ; propior quae terrae , cura secunda.
Legibus, ingenio , studio primum omnia nobis
Obiecit Natura sagax utenda , fruenda ,
Queis hoc ante oculos positum quodcunque movetur,
Hoc quodcunque vides. Divini luminis expers,
Si cui mens alia est animi , et sententia discors ,
Quem damnat ratio , et sibimet mens conscia damnat ,
Imperiis dum cuncta suis aptare laborat.
Nil tale in brutis : naturam quaeque sequuntur
Paucis contenta , et quae ultro natura ministrat
Et ventri, et Veneri addictis, quin usquam in utroque
A prima iussas frustrentur origine leges.
Propositus labor est homini. Labor omnia vincit ,
Si prudens operi nunquam patientia desit .
Vita labore tibi toleranda, iuvanda labore est ,
Ex quo Telluri vetitum , producere fruges
Sponte sua , et quodcunque hominum foret usibus aptum.
Arvorum hinc primo mentem subit aspera cura ;
Pone bovum , atque ovium , miserae quo pabula vitae
Sufficiant , tegmen membris, sociique laborum.

Quaesiti astrorum cursus , et tempora certa ,
Et Lunae , Solisque viae, quo tradere sulcis
Semina , et expediat telluri immittere plantas,
Ne sua sollicitum frustrentur vota colonum ,
Quem circumspiciat nequicquam alimenta reposcens
Defixis oculis tenera cum coniuge natus.
  Difficiles morbi , contagia dira hominumque ,
Et pecoris, medicas docuerunt ire per artes ,
Viscera rimari , membrorumque abdita ab imis
Sollerti studio penitus reserare latebris ,
Si tandem notis illorum occurrere causis
Possent herbarum succo , aut aliunde petito
Auxilio. Campos partiri limite adegit
Segnities hominum per multa pericula rerum.
Illa sui parcens , alienas undique messes ,
Fructusque invadens , turbabat viribus audax
Omnia; paucorum nec erat , vi pellere multos .
Omnibus idem animus , fucos extrudere inertes :
In sua quemque , suo pro iure , utique , fruique .
Quod placitum paucis , quos Jupiter aequus amavit ,
Poenarumque metu sancitum , protinus omnes
Amplexae Gentes , genio , cultuque ferino
Sepositis ; nec quisquam ausus tunc hiscere contra .
Urget quippe Dei vindex praesentia corda ,
Ferrea corda licet , quam nondum prima ferebat
Excussisse aetas animo . Tum , pace sequestra ,
Ludere vel tenui circum rate litora Ponti
Retia distendens, uncos aut piscibus hamos
Obiectans ; pelagi donec fiducia maior ,
Remis abiectis , velata excurrere pinu

Impulit ulterius, nec notas hactenus Orbis
Explorare plagas. Peregrinis anxius exhinc
Divitiis inhians, queis illius ebria quamvis,
Improba non animi tamen exsaturata cupido,
Irruit in luxum praeceps, et qualibus uti,
Si vellet, poterat, ratione, modoque retentis,
Maluit ille frui prave. Quaesita subinde
Lenimenta gulae, vestes, caelataque vasa
Ex ebore, argento, et quod utroque est carius, auro.
Mox, quae demissos animos, defessa labore
Corpora, per Divum laudes, et honesta virorum
Facta, relevabant numeris, pictisque tabellis,
Vel cantu, aut cithara, paullatim flectere visae
Artes in vetitum, quod honesta exhorreat auris,
Horrescant oculi, mens et meminisse recuset.
Sed caveas, artes traducere crimine tali.
Artifici stat id omne suo, qui pulcra pudendis
Miscuit imprudens, quem damnant fasque, decusque.
Cui famulari Artes, aequum est, illudere, iniquum,
Quod vitium Patris, nati si praelia miscent,
Oblitique sui generis, positoque pudore,
Indulgent stulti ganeis, censumque profundunt?
Vulnera qui tractat, Medicos contemnere vidi;
Odisse et Medicos vidi, qui vulnera tractat.
Stultus hic, atque alter, socias qui dividit artes,
Quae prodesse simul, distractae occidere possunt.
Odit utrumque una iuris, legumque peritus.
Quem si praevalida cum febre quatit male tussis,
Aut luxato humero, pede, crure, manuve paventem
Circumstent nati, nataeque, et flebilis uxor,

Supplicet alterutri miser, et gemebundus, oportet.
Causidico rursus medicorum industria saepe
Praestat opem, cum de properato funere lis est,
Quod vulnus fecit, seu vis occulta veneni.
At si vicinus, dimoto limite, furtim
Decurtavit agrum, aut pulsa formidine mortis,
Solvere distulerit sibi, quod promiserat aeger;
Causidici heu! quoties pulsaverit ostia supplex,
Praesidium legum sancte experturus uterque!

Qui nova sectantur, mordent quodcumque vetustum est,
Et solos se scire volunt, quod carpere norint,
Qui nil pro semet dicat, nec dicere possit.
At nostrae augentur, maneat si copia prisca,
Non minuuntur opes, proprio sudore paratae.
Utile sectari tantum se velle, reponunt,
Hoc memores, sibi quod brevis est usura diei.
Sectenturque, licet per nos, semperque licebit.
Hi tamen edicant, sibi quidnam est utile tandem?
Utile namque, animum quodcunque alit, esse putatur.
Quod si proposita est regina pecunia sola,
Dediscant artes, quarum piget, arvaqne sulcent;
Aut mercentur olus, pecudes, et aromata vili,
Quae vendant caro, sapienti denique si quid
Differt mercator, vilisque ancilla patrona.

Atqui ego novi homines, quorum miseretque, pudetque.
Anne alicunde novi, vacuas quod vellicet aures?
Unam Mater habet Natam; Patri unicus extat
Filius. Uxorem ducit Natam Pater: indeque Matrem
Filius. Ecce tibi, qui Filius, et Socer idem
Fit Patris. Et Matris iam filia facta Noverca est.

Vir natae interea fit Vitricus ipse Novercae.
Connubio quanta in duplici conversio rerum!
Atqui ego dicturos rebar, quod miror omissum,
Prae Nata, talos melius iecisse Parentem.
Rursus: heri talone stetit, dic, fabula recto?
An cecidit? quanti qui primas, quique secundas
Egit, habendus? utrum prae Phyllide, doctius Aegle
Saltet, vel clunes moveat? qua voce Theatrum
Plenius intonuit, cui plaudat Iupiter altus?
Haec illis mira, haec narratu digna videntur.
Hoc illis scire est unum, dum caetera sordent,
Utiliusque nihil. Per prandia, perque tabernas
Haec agitant, nec raro inter se iurgia miscent,
Qualia Priamiden, generosum atque inter Achillem.
Quorum commendem studium, modo ne modus absit,
Nec praestare velint aliis, ut Simia natos,
Quod sui erant, cunctis hoc praelucere volebat.
Omnia te vidisse neges, aut posse videre:
Pleraque viderunt veteres. Maiora videbit
Posteritas, incoeptorum contraria fata
Ni modo, ni remorentur iter, cursusque retardent.
Gens non ulla tamen, nullis ignoscere sueta,
Quam quae puncta, apices, chartis inducere tractus
Rectos, incurvos didicit, vel utrinque reductos.
Cuncta patere sibi putat uni, spernit et omnes,
Ut qui ructanti stomacho meliora recusat.
Paucorum id vitium; fateor: tamen intolerandum,
Et quod quisque olim civili emolliat usu.
Atqui se parvo in stadio decurrere, discant,
Corpora si praeter, nihil hi profitentur et ultra.

Quorum et in his etiam quota pars? tantilla profecto,
Quae semota locis, et rebus, *quanta* vocatur,
Et nusquam est, animo tantum contenta teneri.
Multa sine his, dedero, nequeunt consistere recte:
Ista tamen remove; quid noscere proderit illa?
Num non corpus olet? quid, si sapit? unde vel album,
Aut nigrum? intentas sonitu cur verberat aures?
Cur durum, aut fluidum? in motu positum, anne quietum?
Quae motus certae leges? quae porro quietis?
Vivens, an brutum? vivo et quam vivere vitam
Ille dedit, secum qui singula, singula toti
Innectit, totumque homini concessit habendum?
Plantae etenim vivunt, vivunt animalia quaevis,
Et vitae, et mortis, morborum et magna in utrisque
Et cura, et ratio, et cultus non parvus habendus.
Quae, nisi delirent, aliis tractanda relinquant,
Tutenturque suos, alienis parcere docti
Finibus, aut hominum prorsus consortia vitent.
Pacis amans Deus est. Pacem venerentur et Artes
Una, atque Artifices. Verum sectantur ubique,
Aut pulcrum; nec pulcris vera, aut pulcra decoris
Revera pugnant, auctor quibus omnibus idem,
Et pulcri et veri fons primus, sanctaque norma.
Non aliam ob causam cognatas sanguine Musas
Fecerunt Vates, quarum altera in alterius rem
Denique conspirat sancte, et coniurat amice.
Usibus hae praesunt vitae, queis nemo carebit,
Donec constiterit mens sana in corpore sano.
Fessos hae relevant animos, minuuntque labores:
Exercent aliae corpus: cum corpore mentem

Exercent aliae, brutis qua animantibus unus
Praestat homo, similisque Deo, Divumque voluptas,
Cui, pecori, arboribus, terrae, pontoque praeesse,
Sorte datum, donec mortali vescitur aura.
Unius ut non uni eiusdem corporis artus,
Membraque non eadem, toti tamen omnia semper
Apta, quibus, salva vita, salvoque decore,
Non careat quivis; nihilo tu secius artes,
Sint quaecunque licet, reputes. His foedera vitae
Humanae constant, vitae et socialia vincla.
Artes hinc abigas, hinc paullum literae et absint:
Sorte quid humana gravius, vel foedius usquam?
Scribenti in primis non uno hausisse, sat est,
De fonte, aut rivo, sit quamvis plenus uterque.
Exigui semper, tantum qui propria nosse
Contenti, ignorant aliena, aut temnere fingunt,
Quorum si scirent usum, quantumqua iuvandis
Apta suis rebus sint, deproperare libellos
Desinerent uno victuros mense, vel hora.
Tyndaridae Zeuxis cupiens expromere formam,
Non satis ex una duxisse exempla puella,
Autumat: in multis, toto etsi de grege lectis,
Haeret defixus, quodque in quaque eminet, optat.
Sic tibi lector erit, tanquam conviva, nec uno
Donandus vino, donandus pulte nec una,
Queis meliora domi fortassis et ipse recondit.
Si tibi propositum sit, delectare docendo,
Haec praecepta memor teneas, multusque revolvas.
Talia sed frustra tibi commemorasse laborem,
Si vires non ante tuas expenderis ipse;

Nam tua, non alios refert, te noscere recte.
Adspice, quanta patet moles, et quale theatrum!
Partem unam, fortasse aliam, tamen omnibus impar,
Sedulus implebis, cavea plaudente. Sed utrum
Oedipus, an Davus procedas, inspice cautus,
Ne risum tollat spectatum admissa caterva.
Quo natura vocat, nec enim ingenium omnibus unum est,
Intentus sequere, effossos, quo more, sequaces
Consectantur aquae cursus. Aliena probato;
Arva tamen colito ipse tua, assiduusque repurges.
Sic tibi non tenuis continget gloria, quanquam
Sit labor in tenui. Nec enim subiecta magistrum
Commendat res, ast artis ratioque, modusque.
Nec tu laudari festines. Tarda merentem
Consequitur laus, certa tamen, fortasse perennis.
Et laudatorem potius, quam laudis aventem
Esse volo, ut procul invidia, lucreris amicos.
Aequum sic animum in cunctis servare licebit,
Quo sine, quid tandem morituro caetera prosunt?
Quod vitam hanc alit, et quidquid sub Sole movetur,
Tu nihil esse, putes. Sectari aeterna, Deumque
Quaesisse ante omnes, una, et sapientia prima est.
Relligio *veri*, et *pulcri* fons primus, et unus,
Quo clauso, *pulcri* lutulentos currere primum,
Dein *veri* videas (frustra et mirabere) rivos.
Nec mora: continuo doleas, arescere utrosque.

Qui sapiunt aliter longe diversa sequentes,
Adsimiles illi, repetens qui patria tecta,
Et patris amplexus, mansuraque gaudia vitae,
Haeret iter faciens, illinc cunctatus, et istinc,
Et sua, circum aliena stupens, vesanus omittit.
Detinuique satis te, NANULA. Vive, valeque.